

Franckesche Stiftungen zu Halle

Otto Ludewig von Eichmann ... Königl. Preuß. Geheimenraths auch von verschiedener gelehrten Gesellschaften Mitgliedes Sammlung kleiner Abhandlungen ...

Eichmann, Otto Ludwig

Halle, 1782

VD18 14445522

XXII. Dissertatio Iuridica Inauguralis De Dissensu Iuris Romani Et Canonici In
Arbitrio Foeminarum Ad L. VI. C. De Recept. Arbitr. Et C. IV. X. De Arbitr.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-190501

XXII.

DISSERTATIO JURIDICA INAV-
GVRALIS DE DISSENSV JURIS RO-
MANI ET CANONICI IN ARBITRIO
FOEMINARVM AD L. VI. C. DE RE-
CEPT. ARBITR. ET C. IV. X.
DE ARBITR.

QVAM PRAESIDE OTTONE LVD.
DE EICHMANN, POTENTISSIMO BO-
RVSSORVM REGI A CONSILIIIS SAN-
CTIORIBVS, ACADEMIAE DIRECTO-
RE, FACVLTATIS JURIDICAE ORDI-
NARIO, AC PROFESSORE JURIS PRI-
MARIO, PRO SVMMIS IN VTROQVE
JVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUEN-
DIS A. D. XVIII. JVL. MDCCLXX.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT PETRVS HENRICVS
ALBERTVS VERMASEN
WELA-GELRVS.

§. I.

De differentiis Juris Romani et Canonici
plures quidem egerunt, sed eas fere
tantum tetigerunt, ut aliis quod ad singulas

3

spi-

spicilegium relictum videatur. Sciunt, qui historiam juris litterariam primoribus labris degustarunt, imo alii, quod in numerum horum Jurisconsultorum *Joannes Fridericus Boeckelmann*, *Joannes Jacobus Wissenbach*, nec non *Joachim Hassaeus* referendi, quibus omnibus differentias Juris Civilis et Canonici debemus. *Boeckelmann* praeterea mores hodiernos adjecit. Quae vero cum ita sint, et alii ^{a)} argumento electo non satisfecerint, ob dignitatem doctorem autem, quam ambio, specimen aliquod in lucem emittendum, *differentias Juris Romani et Canonici in arbitrio foeminarum* curatius examinare, in animum induxi.

§. 2.

Nonnulli arbitrum ^{b)}, verbum alias aequivocum, definiunt, quod sit *vir bonus*,
qui

a) Citat illos Vir Consultissimus *Otto Ludovicus de Eichmann in Diurn. Duisburgensib. Anni MDCCLIX. Num. XLII. et XLIII.* Occurrunt c. l. Rechtliche Anmerkungen von Frauenpersonen, welche die Stelle eines Schiedsrichters vertreten, bey Gelegenheit des Cap. 4. X. de Arbitr. Verum nonnulla, quae ibi silentio praeteriit, aliis temporibus reservavit, vel alia occasione communicare, sibi proposuit, quam mihi oblata, amplecti, benevole concessit.

b) *Matthias Martinus in Lexic. Philolog.* hac voce arbitrum existimat dictum ab *ar* pro *ad*, et *bitō*, quasi *adbito*. *Robertus Stephanus in Thesuro*

qui partium compromisso, vel confutatione electus officium causam cognoscendi definiendi- que recipit. Joannis Gottl. Heineccii Element. Juris Civilis secundum ordinem Pandectarum Lib. IV. Tit. VIII. §. DXXXI. Secundum alios arbiter est, qui per compromissum eligitur, ut rem controversam decidat. P. II. Philosophiae definitivae capiens definitiones ex omni Philosophia activa. pag. CXXXVI. Dici potest, quod sit, cui facultas litem extra judicium decidendi a litigatoribus conceditur. Ludov. August. Würffel jurisprudent. civil. definit. §. CCIV. pag. CXXII. Illi, qui genus proximum definitionis per judicem exprimunt, errant. Nam judex et arbiter differunt. Neque obstant verba L. XIII. §. II. D. de recept. Recepisse autem arbitrium videtur,

2 4

linguae latinae Tom. I. pag. CCXXIX. Coelius secundus Curio in Thesauro linguae latinae, sive foro Romano Tom. I. pag. CCLXXXIX. alique etymologiam silentio praetereunt et Festi descriptionem percontant. Joann. Gottl. Heineccius ad Brissonium pag. XCVI. arbitros censet ita dictos, quia partes ipsos adirent. Consentit Christ. Beckmann de Originib. Lingu. Lat. tom. pag. CCCCXXXI. Sed ire veteribus betere, vel bitere. Hanc ob rem adbitere est adire, et euphoniae gratia arbiter, quasi adbitere. Just. David Zufall Different. arbitror. Romanor. et Germanor. occas. Recept. Imp. de ann. clo 16LXXXIV. §. LXIV. et LXV. Cap. I. §. I. ibiq. I.

tur, (ut *Pedius L. IX. dicit*) qui *judicis partes suscepit*. Nam *Ulpianus*, uti alii jam observarunt, saepe indeterminatis loquutionibus usus est. Et quamvis *Cicero Tuscul. Qu aest.* arbitrum judicem honorarium dicat, tamen *Orat. pro Roscio C. V. seqq.* differentiam inter judicem et arbitrum docet. *Würfel c. l.*

§. 3.

Oculos in Jus Romanum conjicientibus apparet, quod foemina arbitrium recipere nequeat. Verba enim *L. ult. C. de recept. arbitr.* clara sunt. Sancimus mulieres, quae pudicitiae memores et operum, quae eis natura permisit, et a quibus eas jussit abstinere, licet summae atque optimae opinionis constitutae, in se arbitrium receperint, vel si fuerint patronae, etiamsi inter liberos suam interposuerint audientiam, ab omni judiciali agmine separari, ut ex earum electione nulla poena, nulla pacti exceptio adversus justos earum contemtores habeatur. *Paulus in L. XII. §. II. D. de judic.* hanc adfert rationem. Non autem omnes judices dari possunt ab his, qui judicis dandi jus habent: quidam enim lege impediuntur, ne judices sint: quidam natura: quidam moribus. *Moribus* ^{c)} *foeminae:*

c) Sed unde mos, cujus *Paulus* Jctus mentionem injicit? An a Graecis repetendus, a quibus Romani leges acceperunt. Obstare huic omnino videtur magna auctori-

minae: non quia non habent iudicium, sed
quia receptum est, ut civilibus officiis non

§ 5

fun-

toritas foeminarum inter Spartanos. *Plutarchus in Compar. Numae et Lycurgi et Rheinhold Frideric. de Sähme kleine teutsche Schriften in einer Sammlung ans Licht gestellet, von G. J. C. an. MDCCXLIV. num. III.* Ob Frauenzimmer das Richterliche Amt führen können §. VIII. pag. XXIII. seqq. nec non in den Königsberg. Frag. und Anzeigungs. Nachricht. Num. XXI. An. MDCCXXXVII. Forſitan ad doctam, vel indoctam ignorantiam, ut contradicatio abſit, aut ad L. XX. ac XXI. D. Legib. confugere licebit et cum *Juliano et Neratio* dicere: *Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest et ideo rationes eorum, quae constituuntur, inquiri non oportet: alioquin multa ex his, quae certa sunt, subvertuntur.* Sed jam *Vir Celeberr. Just. Henningius Boebmer in Introduct. in Jus Digestor. Lib. I. Tit. I. §. VI.* observavit, quod rarius provocandum sit ad L. citat. ne quidem in mere civilibus, quae etiam rationes suas habent. Nam solida legum et cum iis connexarum rerum moralium cognitio requiritur. *alleg. loc. §. I.* et scire leges non est verba tenere, sed vim et potestatem. L. XVII. D. de Legib. De vera autem legis prioris sententia egerunt *Horileder in Dissertat. de vero Sensu L. XX. D. de Legibus n. XLVIII. et Helfferich in Dissertat. qua verus L. XX. D. de Legib. sensus eruitur, Cap. III.* De Sähme conjecturis l. c. locum dat. Rapuerat juventus Roma.

fungantur. Conspirat cum Paulo Ulpianus in L. II. D. de divers. regul. jur. antiq. Foeminae ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotae sunt et ideo nec iudices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. Imo jure Romano instar portenti habitum est, foeminam in judicio conspici.

Ap-

Romana virgines. Titi Livii Patavini Historiar. Lib. I. Cap. IX. Nonnullarum amorem quidem blanditiis collegerat, plurimae vero iram tantum dissimulabant, uti cit. auct. videtur. Ut itaque uxores tecto laterent, negotia magni momenti extra urbem sub dio peragebant iisque persuadebant, comitiis, conventibus virorum, interesse pudori ac verecundiae adversari. L. II. C. de his, qui ven. aetat. impetrar. Lex etiam lata: Mulier cum pro bobus votum sit, ad eam rem divinam ne adsit, neve videat, quomodo fiat. Varro de re rustic. C. LXXXIII. Cumque illis negotiorum domesticorum cura incumberet, praetoribus vero, qui Romae erant, saepe in ipsa via publica jus dicendum, foeminae et hujus dignitatis incapaces erant. Haftenus a Sabine l. c. pag. XXIV. Sed mos, cujus mentionem fecit, derivandus potius videtur a zelotypia, cui Romani ob climatis naturam deditissimi erant, quae mulieribus ejusmodi negotia et officia mandari non permittebat. Huic etiam SC. Vellejan. tribuo. Cf. a Ludewig. differrent. jurium de praedicator. jurisdict. nobil. Differ. X. et opuscul. ad SC. Vellejan.

Apparet hoc ex Plutarcho in Numa pag. LXXVII. Quum foemina aliquando causam in foro pro se ipsa dixisset, fama est, senatum Deos consuluisse, ecquid hoc exemplum urbi portenderet? et ne de rebus quidem necessariis dicere permisit Numa sine viro mulieribus. Joann. Petr. a Ludewig Different. jurium in praediat. Jurisdict. nobilium. Differ. X. Quaest. Num Jurisdictio foeminis congrua? Nec foeminae admittebantur postulationae pro aliis L. I. §. V. D. de postul. Origo vero introducta a C. Afrania, improbissima foemina, quae inverecunde postulans et magistratum inquietans, causam dedit Edicto. Ita Ulpianus c. l. Verum enim vero C. Afrania non pro aliis postulavit, sed pro se, nec occasio edicti fuit, sed tantum muliebris calumniae evasit exemplum, ut pro improbis foeminarum moribus Afraniae nomen objiceretur. Valer. Maxim. dictor. factorumque memorabil. exempl. L. VIII. C. III. Probabile potius est, quod foeminis nunquam postulare licuerit, ob ea quae ex Plutarcho in medium producta sunt. Joann. Gottl. Heineccii Elem. Jur. Civil. secund. ordin. Pandect. Lib. III. Tit. I. not. §. CCCXCI. Conf. Augustin. a Leyser Meditat. ad Pandectas spec. LI. meditat. VII. et VIII. nec non Gottl. Aug. Jenichen Observ. select. de C. Afrania. Sed e diverticulo in viam redeo. Multo minus itaque foeminae jurisdictionis capaces erant, quae
ab

ab omnibus muneribus exclusae erant. *a Ludov. c. l.*

§. 4.

Verum Heliogabalus jus collegii foeminis concessit. Deliberationes in conventibus habebant de vita, vestibus ornamentisque. Hinc etiam leges *matronales* ortae sunt. Sed displicuit hoc multis et postquam Heliogabalus cum matre enecatus est, collegium a populo Romano abrogatum est. *Flav. Vopisc. in Aureliano et Lampridius in Heliogabalo, a Sahme c. l. §. II. pag. XXVI. et XXVII. d).*

§. 5.

Et si *Justinianus* veterum JCtorum vestigia prefferit, et foeminis iudicis dignitatem fere negaverit, tamen *Theodoram* conjugem participem consilii sumsit, Nov. VIII. c. I. imitatusque est Augustum, qui *Liviae* consilia minime neglexit. *Seneca L. I. de Clement. C. IX., de Sahme c. l. §. X. pag. XXVI. et XXVIII.*

§. 6.

Sed quid de L. CXCV. *de verbor. signific.* deque sententia, quam *Cujacius* et *Mornacius* fovent, statuendum? Foeminas vestito jure Romano arbitria recepisse, sibi persuadent aliisque persuadere conantur. *Nicol. Hieronym. Gundlingii Praelectiones ad Prot.*

- d) Restitutionem ejusmodi collegii suadet *alleg. de Sahme c. l.* quod nunc in medio relinquo.

Prot. Pandectar. oder gründlicher Disc. über die vier ersten Bücher der Pandekten *Lib. IV. Tit. VIII. Not. §. VIII. pag. MXXXV. de quibus Vir illustriss. et subtilis iudicii Carol. Adolph. L. B. de Braum* in den Anmerkungen über die Pandekten *§. I. pag. II. Not. a.* cense-
 tet: Dieses Meisterstück von Pandekten, so zu Halle 1733. zum Vorschein gekommen, geht nur bis auf den 9. Titel des 4. B. Niemand hat sich noch nicht unterstanden den Rest dieser Venus diesem Apelles nach zu vollziehen. *Verba Ulpiani in L. CXCV. c. I.* sunt: *Pronunciatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plerumque porrigitur. Jam vero editum fuit: Qui arbitrium pecunia compromissa receperit, eum sententiam dicere cogam.* Haud difficulter haec verba ex nonnullis textibus tituli *Digestor. de recept. qui arbitr. receper.* colligi possunt, et quidem ex *L. III. §. II. h. t.* Ait Praetor, *qui arbitrium pecunia compromissa receperit.* Porro ex *L. XI. §. II.* Quod ait Praetor, *pecuniam compromissam:* accipere nos debere, non si utrimque poena nummaria, sed si et alia res vice poenae, si quis arbitri sententia non steterit, promissa sit: et ita *Pomponius* scribit. Quid ergo, si res apud arbitrum depositae sunt eo pacto, ut ei daret, qui vice-
 rit, vel ut eam rem daret, si non pareatur sententiae: *an cogendus sententiam dicere? et puto cogendum.* Tantundem et si quantitas cer-

ta

ta ad hoc apud eum deponatur. Proinde, etsi alter rem, alter pecuniam stipulanti promiserit, plenum compromissum est: *et cogetur sententiam dicere*. Pertinet et huc L. XV. h. t. Licet autem Praetor districte edicat, *sententiam se arbitrum dicere coacturum*, attamen interdum rationem ejus habere debet et excusationem recipere causa cognita, caet. Utitur itaque Praetor secundum L. III. §. II. verbo: *Qui*. Sexus masculinus vero in oratione et foeminam plerumque complectitur. L. cit. CXCIV. de verbor. signific. uti observavi. Sed res salva est. Ob L. ult. vel VI. C. de recept. arbitr. aliud statuendum dicendumque est. Conf. Viri Consultiss. Gerardi Noodt Commentar. ad Dig. Tit. de recept. qui arbitr. pag. CXXXVI. Oper.

§. 7.

Transeo ad Jacobi Cujacii sententiam, cujus §. praeced. mentionem feci. Verba ipsa transcribere decrevi, ut eo melius de ea judicari possit. Videtur ei ante constitutionem Justiniani mulier integrae opinionis ex compromisso arbitrium recipere potuisse, et vel patrona saltem inter libertos suos, et domina moribus Galliae inter beneficiarios aut subditos suos etiam ordinariam jurisdictionem habet, qui mores confirmantur C. dilecti de arbitr. et Homeri VIII. Odyss. Areta uxor Alcinoi dicitur etiam inter viros disceptare lites. Est et hujus rei exemplum in epist. decret. IV. Var. Cassio.

Cassiodori. Sed hoc vetat *Justinianus* in L. ult. C. de recept. arbitr. At *Ulpianus* L. II. D. de regul. jur. scribens foeminas judices esse non posse, non adjecit, nec esse arbitras posse et rursus cum de mare scribit L. VII. de recept. nihil interesse, ingenuus quis, an libertinus integrae famae, an ignominiosus arbiter sit, idem de foemina non adjecit, quod in foemina multum interesset ingenua, an libertina, integrae famae, an ignominiosa esset nec enim libertina vel infamis mulier arbitrium recipere potuit. Sed neque, ut arbitror, ingenua et integrae frontis, nisi inter liberos, vel familiares suos, vel quo alio jure sibi subiectos. His enim, quamvis liberi sint, non est indignum mulierem vetare, vel jubere, quae arbitrorum non minus, quam judicum verba. Et his igitur videretur etiam mulier judex esse posse, nisi alia ratio obstaret, quia judicandi munus, civile munus est, quod invitis deferitur: arbitrium autem inviti non recipiunt, et officium arbitri privatum est potius, quam civile. *Cujac. Observat. Lib. XIII. Cap. XXIII.* Verum §. II. jam observavi, quod arbiter sit vox aequivoca. Mox enim denotat judices a praetore in bonae fidei et arbitrariis judiciis datos. *Franc. Polleti hist. for. Rom. Gerard. Noodt de jurisdict. L. I. C. III. seq. Christ. Cellarius de ordine judic. Romanor. Joann. Gottl. Heineccii Element. Jur. Civil. secund. ordin. Instit. §. MCLXXXI. ejurd.*

ejusd. Recitat. c. l. pag. DLXXII. Mox significat eos, qui conciliandis partibus sine compromisso operam dabant, mox, qui in contractibus aliquid definiunt. *L. LXXVI. D. pro soc. Heinecc. Elem. Jur. Civil. secund. ordin. Pandect. l. IV. Tit. VIII. Not. **).* §. DXXXI. *Gundl. c. l. §. V. pag. MXIX.* Audiamus *Gundl. c. l. pag. MXXXV. Zufall c. l. C. I. §. I. II.* Sed errant, ait, et eundem errorem sequitur *Mornacius ad L. ult. C. h. t.* exempla quoque adfert, sed quae ab arbitrio simili abluunt. Clarius ad huc mentem exprimit in explicatione, quam adjecit. Novus pragmaticorum ex priori fonte propullulans occurrit. Das Wort arbiter, inquit, muß wieder in dem sensu improprio genommen werden, wie zuvor, nicht proprie und in sensu Juris Romani. Nach diesen konnte keine Foemina arbiter seyn, es wurde ein Amicus erfordert, nicht amica, es ist ein virile Officium, quod ad foeminas non transit. Magistratus nostri possunt esse arbitri, haben wir einmal gesagt, ex errore pragmaticorum juri Canonico hac parte aures praebentium. Ergo etiam foemina potest esse arbiter, ergo etiam minor, deinde conclusimus, utut inepte. Viele Juristen haben sich verführen lassen, daß sie gemeyn, foeminam posse esse arbitrum. Denn es sey ein Officium humanitatis, a quo nemo repellitur. Sed hoc falsum est. Mornacius allegatus hat viele Exempla, die reden zwar de foemina arbitro,

bitro, aber man weiß ja aus dem obigen (§. V.) in wie vielerley Senu das Wort arbiter genommen werde; daß also arbiter hier gar nicht das heißt, was wir hoc loco verstehen, wenn es von einer Foemina prædiciret wird. Foemina ist mehrmals judex domesticus gewesen, rationes oeconomicas et administrationem perspexit, hoc intuitu war sie arbiter, aber in alio sensu; Sententiam nunquam dixit inter partes; disceptavit, hoc verum est, sed non de lite, de controversia, de processu. Inzwischen haben sich hier viele ebloviren lassen. Observavit etiam Joann. Brunnemann. in Commentar. in Codic. Justinian. L. II. Tit. LVI. ad L. ult. l. cit. pag. CCXXI. quod quamvis L. alleg. foeminis arbitrium non indulgeat, hoc tamen limitent, quod mulier arbitrix esse possit, ubi non proceditur secundum judicarium ordinem, vel ubi tractatur de negotio animi salutem concernente, ubi non curantur apices juris.

§. 8.

Cam Jure Romano, praecipue l. C. saepe citat. Jus Canonicum non conspirat. Nam secundum c. IV. X. de arbitr. in foeminas compromittere possumus. Joann. Frieder. Bockelmann Tractat. posthum. de different. Juris Civil. Canon. et hodiern. Cap. LXVIII. de arbitr. N. V. pag. CXLVI. Verba ipsa hoc loco recitare, operae pretium erit.

v. Eichm. Abh. 11 Inno-

Innocentius III. Cancellario et Magistro Loth. Canonico Parisiensi. Dilecti filii abbas et conventus de Scandin Cistercien. Ordinis, sua nobis querela monstravit, quod cum inter eos ex una parte, ac Hospitalarios ex altera, super usufructu cuiusdam nemoris quaestio verteretur, in A. Regiam Francorum fuit compromissum utrinque, quae causae meritis intellectis, arbitrium duxit per definitivam sententiam promulgandam. Quamvis autem secundum regulam juris civilis foeminae a publicis officiis sint remotae, et alibi dicatur ^{e)}), quod licet summae opinionis existant, si arbitrium in se susceperint, vel, si patronae inter liberos suos interposuerint audientiam ab omni sint judiciali examine separandae, ut ex earum prolatione nulla poena adversus eorum contemptores, nullaque pacti exceptio habeatur. Quia tamen juxta consuetudinem approbatam, quae pro lege servatur, in partibus Gallicanis foeminae praecellentes in subditos suos ordinariam jurisdictionem habere noscuntur: mandamus, quatenus Hospitalarios, ut arbitrium ipsum, praesertim cum episcoporum fuerit praesentia et consilio roboratum, sicut provide latum est et ab utraque parte sponte receptum, observent, per poenam in compromisso statutam appellatione postposita, compellatis. Huc et c. IV. X. de confirm. util. pertinet foeminisque favet, quod hanc ob causam in usus meos

e) L. ult. C. de arbitr.

meos convertere et adicere licebit. Firmat idem *Innocentius* abbatissam procuratricem, ad quod officium tamen Jure Romano non admittebantur. *David* Tiede *Dissert. inaugural. de foemina procuratrice ad litem §. XI. et sequent.* Verba cit. capit. sunt: Cum dilecta in Christo filia Abbatissa et Sorores Ecclesiae de Gardeven sua cuperent privilegia innovari: propter viarum discrimina quatuor Episcopis et Abbatibus totidem, ut ea inspicerent diligenter et tenorem ipsorum fideliter transcribentes sub sigillis suis nobis remitterent, duximus injungendum: Nos autem tam Legato, qui sub sigillo proprio ea nostro fecit conspectu praesentari, quam inquisitoribus ipsis fidem debitam adhibentes, licet non videremus, quare non deberent eadem privilegia innovari: quia tamen C. majoris Ecclesiae et J. Sanctae Crucis Canonici proposuerunt, Hildesem. Ecclesiam in possessione subjectionis ipsius monasterii per centum annos et amplius extitisse, privilegia ipsa tunc non duximus innovanda. Unde iudicibus dedimus in mandatis, ut ad locum idoneum accedentes, (citatis, qui fuerint evocandi) inquirerent super his diligentius veritatem, a quibus pars Hildesem Ecclesiae ad Ap. sedem appellavit. Nuper autem iterato praedicta petiit Abbatissa, quatenus deberemus privilegia suae Ecclesiae renovare. Ex adverso vero fuit postulatum, ut causam ipsam discretis viris committere dignaremur,

qui testes reciperent, quos contra privilegia monasterii et ad probandum praescriptionem legitimam inducere proponebant. Nos igitur attendentes, quod jure sit civili statutum, ut quando periculum testium formidatur, ne veritas occultetur, et probandi copia fortuitis casibus subtrahatur, etiam lite non contestata, testes valetudinarii et alii, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, ad testimonium admittantur: ejusdem aequitatis similitudine provocati, praedicta privilegia, quasi jam nimia vetustate consumpta, cum fuerint non in pergamenis, sed in papyro conscripta, duximus innovanda, nolentes, quod ex innovatione hujusmodi novum jus monasterio acquiratur, sed antiquum (si quod habet) per innovationem privilegii conservetur. Quia vero praefatum monasterium ad jus et proprietatem Apost. sed per privilegium praed. nost. pertinere monstratur: ne jus Ecclesiae Romanae maneat indefensum, eandem Abbatisam procuratricem ipsius duximus statuendam: ut cum adversus Romanae Ecclesiae possessiones et jura non nisi centenaria currat praescriptio, ipsa super hoc et aliis vice nostra procuret, quae coram te in judicio fuerint procuranda, caet. Sed unde haec diversitas? Ex jure Canonico non solum mores Germanici hauriri possunt? Job. Gottl. Zeineccii vermischte Anmerkungen und rechtliche Gutachten N. IV. Anmerkung über die historische Um-

Umstände des *c. dilecta* 12. X. de majorit. et obed. sed et Juri Canonico ex Germanicis legibus lux afferri potest. Carol. Ferdinand. Hommelii, de Jure Canonico ex Germanicis legibus explicando libell. singul. Videtur vero mihi, quod utrumque capitulum ex Jure Germanico illustrari possit. Sed nomina tam personarum, quam locorum saepe in vulgaribus editionibus Corporis Juris Canonici corrupta sunt, unde interdum tenebrae oboriuntur, quae, nisi dispellantur, usus textuum minuitur. Heinecc. *c. l.* Probavit hoc et Heinecc. *l. alleg.* Dioecesis *Abradensis*, cujus in ipso titulo *c. dilecta* XII. mentio injicitur, est Halberstadensis et abbatissa in *Bubringen*, quae in ipso capitulo occurrit, est abbatissa *Quedlinburgensis*. Nomina et in hoc capit. corrupta videntur. Emendavit illustravitque ea *Joann. Petr. a Ludewig ad SC. Vellejan. P. I. D. I. Differ. IV.* uti ipse observat in *Diss. de differentiis jurium in praedicator nobilium jurisdict.* Q. X. Not. 6. pag. LV. Quia vero capitul. IV. X. de arbitr. ad historiam ordinis Cisterciensis pertinet, *Manrique in anal. Cisterciensib. Tom. III. ad an. MCCIV. c. V. n. IX. pag. CCCCIX.* ipsam epistolam a mendis restitutam et historiam recenset et ad hunc annum refert. Errant hanc ob causam *Pithoei*, qui eam ad ann. MCCX. referunt. Vid. *Viri Celeberrim. Just. Henning. Boehmeri Corp. Jur. Canon. ad cit. c. IV.* Quod vero ad

cap. IV. X. de confirmat. util. attinet, bullam pontificis mendis repurgatam nobiscum communicavit *Leuckfeld* in *Antiquit. Gandersheimensib.* in append. ad c. XIII. §. 5. pag. CCCCXXII. *Boehm.* c. I. ad hoc cap. IV. Hanc ob causam vero cum *Pfaffio* commentarium criticum ad Jus Canon. opto. *Vid. Aka-*
demische Reden über das protestantis-
sche Kirchenrecht §. VII. nec non *Hein-*
ceii vermischte Anmerkungen IV. §. I.
und II. uti et alios a *Consultiss. Frid. Wil-*
helm. Taschengero cit. in *Diss. de eo, qui extre-*
nam voluntatem in alterius dispositionem com-
mittit, sive ad Innoc. III. P. R. cap. XIII. X.
de testam. et ultim. volunt. Observat. II.

§. 9.

Jam ad illustrationem horum textuum ex Jure Germanico me accingo. Magni ab omni aevo foeminae in Germania aestimatae sunt. *Freya*, conjux *Othinii*, aliaeque deae olim imperii coelestis participes credebantur. Nomen deae tutelaris *Valhallae* illi *Edda* tribuit, imo imperium extendit. Agit praeterea de magnitudine et praestantia palatii hujus deae. *Summe Venerand. Schütze Lehr-*
griff der alten Teutschen und Nordis-
chen Völker von dem Zustande der
Seelen nach dem Tode überhaupt und
von dem Himmel und der Hölle insbes-
ondere pag. CCLXXXCI. et CCLXXXCII.
 Hinc

Hinc et Druidissae erant, quae re vera ad sacerdotium Germanorum pertinebant. *Schütze e. l. ac Gottfr. Ephraim Müller historisch philologische Abhandlung von den Seidpriestern der Völker alter Zeiten 4. Abschn. pag. CCLXXXCI.* Refert praeterea Tacitus de moribus German. C. VIII: Inesse foeminis, sanctum aliquid et providum putant Germani, nec aut consilia earum adspernantur, aut responsa negligunt. Cf. *Disc. de l'estime et de la Consideration, que les anciens Germains avoient pour les femmes de leur nation. Histoire de l'Academie des inscriptions Tom. III. pag. CCCCXCVIII. seqq. et J. Ch. Macher von der Verehrung des weiblichen Geschlechts bey den alten Teutschen, quem Celeb. de Selchow in Element. Jur. Germ. L. I. c. I. Sect. I. Not. III. pag. CCXXIV. excitat.* Sed et ipsi Romani Imperatores foeminarum Germanicarum sapientiam aestimarunt. *Sueton. in Vitell. C. XIV. Vopisc. in Aurel. C. XLIV.* Magis adhuc mihi testimonium Plutarchi de virtutib. mulier. C. VII. pag. DXVIII. favet: Celtae antequam Alpes transgressi Italiae eam obtinerent partem, quam nunc incolunt, e gravi et implacabili discordia in bellum inciderant civile. Mulieres autem inter media arma progressae, cognitis controversiis, tam dextre eas et inculpate dijudicarunt, ut admirabilis earum ex arbitrio amicitia omnium cum omnibus per

urbes singulasque familias existeret. *Add. Polyæni Stratag.* l. VIII. Confirmat et hoc *Plutarchus* sequentem in modum: Quare in suo etiam foedere, quod cum Annibale iecerunt Celtae, scripserunt: si Celtae haberent, quo nomine Carthaginienses accusarent, iudicium fore Carthaginiensium ducum ac praefectorum in Hispania: Si vero Charthaginienses Celtis aliquid objicerent, causae cognitionem futuram penes Celtarum mulieres. *Polyænus c. l.* Nec silentio praetermittenda sunt, quae *Tacitus de Morib. Germanor. Cap. VII.* refert. Narratur quasdam acies inclinatam jam et labantes a foeminis restitutas constantia precum et objectu pectorum et monstrata cominus captivitate. *Vid. Viri summe Venerandi Gottfr. Schütze Schutzschrift für die Weiber der alten Teutschen, inter die Schutzschriften für die alten Teutschen pag. LXXXV. et seqq. et Joann. Carol. Dreyer* ornamentum reipublicae litterariae maximi *Sammlung vermischter Abhandlungen zur Erläuterung der teutschen Rechte und Alterthümer, wie auch der Critic und Histor. 2. Th. ibique Versuch einer Abhandlung von dem Nutzen der heidnischen Gottesgelahrtheit in Erklärung der teutschen Rechte und Gewohnheiten mittlerer Zeiten pag. DCXLIII DCXLIV.* Ad sequentia tempora me convertito. Cum christianissimus et piissimus Imperator,

rator, dominus Ludovicus bonae conjugis fide et moribus sibi congruentis consortium amisisset, necesse fuit, ut aliam sibi acciperet, quae ei possit esse adiutrix in regimine et gubernatione palatii et regni. *Verba sunt Agobardi ex apologia pro filiis Ludovici Pii Tom. II. pag. DCXI. §. VIII. desumpta. Addit l. c. §. IX: Regina reducta est in palatium et assumpta in consortium. Celeberr. Joann. Frid. Joachim Sammlung vermischter Anmerkungen P. I. Num. XIV. Von der ehemaligen gemeinschaftlichen Regierung der Kayserinnen mit ihren Gemahlen pag. CCCXLII. Displicet hoc quidem Agabardo c. l. §. VIII. Paschas. Ratpert. in Vita S. Walae L. II. C. XVI. Nithard. de Dissensione filiorum Ludovici Pii L. I. pag. LXXXIX. et auct. vitae Ludov. Pii pag. CCCIX. sed tantum eum in finem, ut rebellio filiorum Ludovici Pii aliorumque aliquo modo excusaretur. Ipse Agobardus diffiteri nequit potestatem conjugum Francicorum regum et tantum abusum fingit, vel sibi persuadet. Joachim c. l. pag. CCCXLV. et Perillustr. Joann. Georg. Estor. neue kleine Schriften 3. Stück Num. XXIII. Von der Zulassung des erlauchten deutschen Frauenzimm. in Statshändeln p. DCXXV. et seqq. Interfuerunt praeterea ludis equestribus, non, ut spectatrices, sed quia ipsis certa officia concredita, de quibus vid. Joach. c. l. inprimis*

ll 5

vero

vero Schubart *Diff. de ludis equestrib.* Relatum praeterea legimus, quod cura reddituum regiminis illis demandata fuerit. *Flor. c. l. et bürgerliche Rechtsgelehrtheit der Deutschen* 1. Th. 6. Hauptst. §. XLVII. Hinc vero facile origo proverbii perspicui potest: *Priester und Frauen soll man ehren.* *Flor. bürgerl. Rechtsgel. c. l.*

§. 10.

Adscribo vero hanc foeminarum Romanarum et Germanicarum diversitatem diverso earum vitae generi, cum majores nostri non tantopere ob differentiam climatis zelotypiae dediti fuerint, uti Romani. Hinc non tanta foeminis Teutonicis necessitas erat imposita tecto latere domique sedere. Contrarium potius ex Taciti libello *de moribus Germanor.* Cap. XVIII. apparet: Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellicorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio passuram ausuramque: hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant: sic vivendum, sic pereundum. *Conf. Dithmari et Perillustr. Gebaueri Commentar.* ad hoc Taciti opusculum. Accedit testimonium *Flor. rerum Romanarum Lib. III. C. III.* Nec minor cum uxoribus eorum (nimirum Cimbrorum) pugna, quam cum ipsis

ipsis fuit: quum objectis undique plaustris,
 atque carpentis, altae desuper, quasi e tur-
 ribus, lanceis contisque pugnarent. Confir-
 mat hoc *Valer. Max. Lib. VI. c. I.* Dii me-
 lius, quod hunc animum viris earum in acie
 non dederunt. Nam si *mulierum* suarum vir-
 tutem imitari voluissent, incerta Teutonicae
 victoriae trophaea reddidissent. Addo *Xiphil.*
 in vita *Anton. pag. CCCLXIV.* Germani,
 qui trans Rhenum incolunt, quum Italiam
 vastantes caesi essent a Marci Imper. ducibus
 inter cadavera barbarorum corpora *mulierum*
 quoque armata reperta sunt. *Schütze c. l. pag.*
CIV. et CV. Haec diversa vitae ratio effi-
 ciebat, ut magis peritae fuerint, pluribusque
 negotiis defungi potuerint et defunctae sint.
 Plane hanc ob rem mirum non est, quod Jus
 Canonicum eas ad arbitrium et procuratoris
 officium admiserit. Nec desunt arbitrii foe-
 minarum exempla. Oborta lite inter Ducem
 Bavariae et Episcopum Freisingensem, con-
 iux Ducis arbitrix fuit. *Hundii Metrop. Salis-*
burgens. Tir. I. pag. CLXVI. An. MCCLXIII.
Andreas, Abbas Luincellis Domus et Petr. Sa-
blon Flottam, Dominam de Roianis tanquam
 amicum communem elegerunt, quae visis
 et auditis, quae partes proponere voluerunt,
 discordiam concordavit. *Sam. Guichenon. Bi-*
blioth. Sebusian. Cent. I. N. XXVIII. Porro
An. MCCLXXI. Adolphus, Gothofredus et
Otto, Comites de Waldeck Sophiae arbitrium
 com-

commiserunt. *Victor. Waldeckische Ehrenrettung* pag. CXXX. et *Prass. Chronic. Waldeccens. Hanii Collect. Monum. P. II. pag. DCCCXV. et Henricus Ferreus, nec non Ludovicus, Landgravii Hassiae Elisabethae. Schroeter de orig. Hassiae Landgrav. in de Westphal. rebus Megapol. et Cimbric. pag. MCCCCLVII. Dreyer Sammlung vermischter Abhandlungen zur Erklärung der Teutschen Rechte P. II. pag. DCXLV. De Justina de Rocha idem relatum legimus. Gottl. Aug. Jenichen Observat. select. de efficaci mulierum testim. in codicill. pag. LXXXVII. in Vol. XI. Meditat. ad Pandect. beat. a Leyf.*

§. II.

Quae cum ita sint, Jure Germanico foeminae et judicia ac tribunalia frequentant impune, cum sui causa, tum in favorem aliorum, sine ulla sepimenti muliebris laesione. *Schilter* quidem in *Exercit. X. Lib. III. Tit. I.* provocat ad *Hennebergens. morem* tantum, ei familiarissimum alias quoque, ubi foeminae in judiciis causis agant cum maritorum, tum liberorum suorum. Verum licet exempla defuerint moresque, illud satis esset, quod cum aliae rationes nostrarum foeminarum in Germania sint, leges Latii ea in re nostris institutis parum congruas esse, adeoque earum nullum in patria

tria nostra fore locum, aut juris Romani receptum. Quod magis est, ipsa jurisdictio foeminis confertur instar virorum. Exemplo sint abbatissae, quae virilia negotia cum suo in territorio tractant domi, tum foris ad comitia convocatae. *A Ludew. in Different. jur. de praedicator. jurisdict. nobil. Differ. X. num jurisdictio foemin. congruat?* Hinc et Jus Canonicum moribus hodiernis convenire, facile quivis sibi persuadebit. *Boeckelmann de differentiis Jur. Civil. Canon. et hodiern. Cap. LXVIII. VI. pag. CXCVI. Groenewegen de legib. abrogat. ad L. ult. C. de recept. arbitr.* Proinde etiam hodie Abbatissae superioritate territoriali gaudentes arbitrium recipere possunt. Id tamen haud difficulter intelligitur, eos, qui in foeminas compromittunt, tacite iisdem facultatem substituendi dedisse, cum sciant, foeminas jurisditionem per vicarios exercere solere. *Carol. Gottl. Knorr Observat. Select. ad Ludov. Doctr. Pandect. Lib. IV. Tit. VIII. Observ. CLXXI. pag. C. et CI.* Minime vero inhabilitas quaedam naturalis foeminarum statui potest. Diversae potius educationi et institutioni omnia secundum experientiam adscribere debemus. *Christ. Thomas Jurispr. Divin. Lib. III. §. CX. et a Sahme Kleine Schrift. ten Num. III. ob Frauenzimmer das richterliche Amt führen können? §. III. pag. XVII.* Nam *Beyerlink in Theatro Vi-*
tae

rae humanae catalogum foeminarum erudit-
tarum nobiscum communicavit, cf. *Sahme*
c. l. Not. g. et a Ludewig refert in Recitar.
ad Samuel. Stryck. Examen Juris feudal.
Cap. IV. Q. I. pag. XXXVII. quas beat.
Illustriff. L. B. a Senckenberg benevole
cum Dn. Praefide communicavit, quod con-
jux cujusdam Cancellarii in Saxonia juris-
prudenciae peritissima fuerit, plures senten-
tias tulerit, et Carpzovium memoria tenuerit.